



subscriptionibus contropentur, sufficiatque ad firmitatem, vel veritatis huius indaginem agnoscendam, trium aut quatuor scripturarum similis, et evidens prolata subscriptio. Quod si talibus scripturis legum tempora non occurrerint, pro certo decernitur, quia valere non poterunt.

XV. — *Flavius Recesvintus Rex.*

De holographis scripturis.

Quia interdum necessitas ita sæpe concurrit, ut solemnitas legum libere compleri non possit, ideo ubi qualitas locorum ita constiterit, ut non inveniatur testes per quos iuxta legum ordinem unusquisque suam alliget voluntatem, manu propria scribat ea, quæ ordinat, ita ut specialiter adnotentur quæcumque indicare voluerit, vel quæ de rebus suis habere quemquam elegerit: dies quoque et annus habeatur in eis evidenter expressus. Deinde toto scripturæ textu conscripto, rursus auctor ipse subscribat, et dum hæc scriptura infra triginta annos ad eum, in cuius nomine facta est, vel ad successores eius pervenerit, eam episcopo vel iudici infra sex menses non differat presentare. Quam sacerdos idem, et iudex adlatis sibi tribus aliis scripturis, in quibus testatoris subscriptio reperitur, ex earum contropatione considerent, si certa et evidens scriptura est, quam idem conditor holographa ratione conscripserit, et dum ista præviderint eadem chartula quæ offertur vera nihilominus habeatur, atque etiam continuo sacerdos ipse vel iudex, sive alii testes idonei eandem holographam scripturam suam denuo subscriptione confirmant, et sic voluntas ipsius testatoris plenissimam obtineat firmitatem.

XVI. — *Flavius Recesvintus Rex.*

De contropatione scripturarum, et earum pœna solvenda.

Sicut ubi convenit miseranter occurrere salutaria remedia non negamus, ita ubi contentio irrationabilis exoritur, censuram ponere iuste debemus. Proinde cum de quibuslibet scripturis parentum, quas tamen iustissime ac legitime, et de rebus sibi debitis patuerit esse conscriptas, fuerit exorta contentio, si ille, cui scriptura profertur, nescire se dixerit ipsius scripturæ veritatem, mox prolator ille iurare cogatur nihil fraudis, nihil læsionis in ea quandoque aut a se factum esse, aut ab alio quocumque factum, omnimodo cognovisse vel nosse, sed ita manere sicut auctor eius eam voluit, vel ordinare, vel roborare. Deinde ille, qui hanc renuit accipere, cogatur iurare se hanc scripturam veram esse nescire, nullaque evidenti cognitione sapere, seu ab actore suo legitime ac legaliter confectam existere, neque subscriptionem vel signum actoris veridice factum cognoscere. Post hæc quærenda sunt ab utrisque partibus in scriniis domesticis instrumenta chartarum, ut contropatis aliarum scripturarum suscriptionibus atque signis possit agnosci, utrum habeatur idonea, an res probetur indigna. Iam tum si in domesticis scriniis scripturæ auctoris repertæ non fuerint, ad quarum similitudinem scriptura prolata firmetur, ita demum ille, qui scripturam profert, ubicumque potuerit, alias scripturas auctoris procurare inquirere, per quarum similitudinem scripturam, quam profert, veram esse confirmet. Sic-

que per talem convenientiam latenti veritate reperta, nec illi qui scripturam profert in convincendo eam esse idoneam ex longinquo testes advocans, damna sustineat; nec ille qui hanc contemnit recipere, pœnam scripturæ cogatur implere. Quibus ita actis, si ille qui scripturam indignam esse contendit, non pro veritatis cognitione, sed pro sola commotione partis adversæ ad convincendam dignitatem scripturæ, et in adducendis testibus, et in sustinendis dispendiis laborare adversantem fecerit, tunc ipse qui scripturam profert veram, exhibitis testibus esse idoneam et in læsam scripturam adfirmet, ac postea sic ille, qui per contentionem indebitam in adducendis testibus laborem intulit adversanti, pœnam damni quam scriptura continet, evidenter adimpleat. Certe si aut tanta res non est unde pœnam suppleat, quam auctor eius instituit, quum de rebus suis legitimum iudicium ferret, aut etiam sponte sua hanc ipsam pœnam noluit implere; rem, quæ illi de eiusdem auctoris competit iure, ei quem convexabit indebite, cogatur cessionis ordinem dare. Hanc sane legem in solis parentum scripturis servandam esse decernimus, propter quod filios vel nepotes iniusta contentione ab alterutro, aut se, aut extraneorum partes vidimus convexare. Ista evidenter conditione servata, ut si ex aliis oppositionibus legum eadem scriptura dicitur convellenda, vox impugnantis pro certo sit libera.

XVII. — *Flavius Cintasvintus Rex.*

Ne aliud quisque per testem, aliud per scripturam alligare præsumat.

Quum, sive sint verba, sive scripturarum quædam iudicia, quæ tamen vera esse oportet, atque simplicia, per quæ unus in alterius conditionem transferat notitiam suam, novellis nunc per agitur argumentis, ut in donationibus, transactionibus, vel causis scripturarum prompta videatur quorundam donatorum voluntas, quæ tamen testibus occulte aliud alliget, quam quod patula per scripturæ seriem noscitur definisse, in qua bifariæ duplicitatis astutia quid aliud quam duplex comprobatur voluntas, quia simplicitatis puritate exclusa, aliud foris publicet, aliud per occultum alliget testem? Quapropter cum quisquis de quibuslibet rebus scripturam donationis vel venditionis in alterius nomine faciens, aliud reperiatur conligare per testem, quam quod per manifestas scripturas agnoscitur definisse, noverit se parti illi pœnam scripturæ debere persolvere, cui circumventionem callida noscitur illusisse, et insuper cum infamia suæ personæ quod semel eum constat dedisse, nulla unquam poterit repetitione repossere, nec testis illic ad testificandum aliud admittatur, qui aliquid aliud protestetur, quam quod prolata donatoris scriptura testatur: ut repulsa deinceps omni argumentationis sollicitudine, quidquid per manifestam et legitimam scripturarum serie definitur, nulla subornati testis machinatione devocetur in irritum: et hæc quidem lex inter æquales gradu vel ordine promulgata servabitur. Cæterum si eiusdem potestatis atque conditionis sit ille, qui scripturam se accepisse obiecerit, ut potius exacta ab eo, quam oblata ei scriptura credatur: quidquid de huiusmodi occasionibus ab auctore scripturæ convinci poterit, tunc et scriptura ipsa invalida erit, et res in donatoris iura possessura transibit.

LIBER III.

DE ORDINE CONIVGALE.

I. TITVLVS.

DE DISPOSITIONIBVS NUPTIARVM.

I. Ne sine dote coniugium fiat. — II. Vt tam goto romanam, quam romano gotam matrimonio liceat sociari. — III. Si puella contra voluntatem patris alio nubat, quum sit alteri dispensata. — IV. De non revocandis datis arris. — V. Ne viris minoris ætatis maiores feminae disponantur. — VI. De quantitate rerum conscribendæ dotis. — VII. Vt dotem puellæ pater exigat et conservet. — VIII. Vt, patre mortuo, utriusque sexus filiorum coniunctio in matris potestate consistat. — IX. Si fratres nuptias puellæ differant, aut si puella impudice nuptias præsumat. — X. Vt de quibuscumque rebus dos conscripta fuerit, firmitatem obtineat.

I. — *Flavius gloriosus Recheshvintus Rex.*

Ne sine dote coniugium fiat.

Nuptiarum opus in hoc dinoscitur habere dignitatis nobile decus, si dotalium scripturarum evidens præcesserit munus. Nam ubi dos nec data est, nec confirmata, quod testimonium esse poterit in coniugii dignitate futura, quando nec coniunctionem celebratam publica roborat dignitas, nec dotalium tabularum adcomitatur honestas?

II. — *Flavius Recesvintus Rex.*

Vt tam goto romanam, quam romano gotam matrimonio liceat sociari.

Sollicita cura in Principe esse dinoscitur, quum pro futuris utilitatibus beneficia populorum providentur: nec parum exultare debet libertas ingenita, quum fractas vires habuerit prisca legis absoluta sententia; quæ incongrue dividere maluit personas in coniuges, quas dignitas compares æquavit in genere. Ob hoc meliori proposito salubriter censentes, prisque legis remota sententia hac in perpetuum valitura lege sancimus, ut tam gotus romanam, quam etiam gotam romanam, si coniugem habere voluerit, premissa petitione dignissima, facultas eis nubendi subiaceat, liberumque sit libero liberam, quam voluerit, honesta coniunctione consultum perquirendo prospiciat, solemniter consensus comite percipere coniugem.

III. — Si puella contra voluntatem patris alio nubat, quum sit alteri dispensata.

Si quis puellam cum voluntate patris, aut aliorum propinquorum parentum, quibus ex lege huiusmodi potestas tribuitur, sponsatam habuerit, et ipsa puella contemnens voluntatem patris, ad alium tendens patri contradicat, ut illi non detur cui a patre fuerit pacta, hoc ita eam nullo modo facere permittimus. Quod si ipsa puella contra voluntatem paternam ad alium quem ipsa cupierat, forte pervenerit, et ipse eam uxorem habere voluerit, ambo in potestate eius tradantur, qui eam cum voluntate patris sponsatam habuerat. Et si fratres vel mater eius, aut alii parentes malæ voluntati eius consenserint, ut eam illi traderent, quem ipsa sibi contra paternam voluntatem cupierat, et hoc ad effectum perduxerint; illi, qui hoc machinaverunt, libram auri dent cui rex iusserit. Sic tamen ut voluntas eorum non habeat firmitatem; sed ipsi, sicut superior diximus, ambo tradantur cum omni substantia sua illi, cui antea fuerat sponsata. Eandem legem præcipimus custodiri, si pater de filia nuptiis definierit, et de pretio dotis convenierit, ac si ab hac vita transierit ante quam eam pater suus nuptiis tradat, ut illi puella tradatur, cui a patre vel a matre pacta constiterit.

T. I.

IV. — *Flavius Recesvintus Rex.*

De non revocandis datis arris.

Dum præteritorum facta recolimus, futuris ponere præsumptionibus terminum consultissimum arbitramur. Quia ergo sunt plerique, qui factæ sponsonis immemores, nuptialium fœderum definitionem differant adimplere; abrogare decet huius rei licentiam, ut non unusquisque pro suo velle alteri dilationem exhibeat. Ideoque a die latæ huius legis decernimus, ut quum inter eos, qui dispensandi sunt, sive inter eorum parentes, aut fortasse propinquos pro filiorum nuptiis coram testibus præcesserit definitio, et annulus arrarum nomine datus fuerit, vel acceptus, quamvis scripturæ non intercurrant, nullatenus promissio violetur. Nec liceat uni parti suam immutare aliquatenus voluntatem, si pars altera præbere consensum noluerit; sed secundum legem, altera constitutione dotis impleta, nuptiarum inter eos peragatur festa celebritas.

V. — *Flavius Recesvintus Rex.*

Ne viris minoris ætatis maioris feminae disponantur.

Ius naturæ tunc directum in spem procreationis futuræ transmittitur, quum nuptiarum fœdus totius solemnitatis concordia ordinatur. Nam si aut ætatum, aut personarum incompetenti conditione adnectitur copulum nuptiale, quid restat in procreationis origine, nisi ut quod nascitarum est, aut dissimile maneat, aut biforme? Nec enim poterit in pacis concordiam nasci, quod per discordiam originis noscitur seminari. Vidimus enim quosdam non avidos amore naturæ, sed inlectos cupiditatis ardore filiis suis tam inordinatim disponere fœdera nuptiarum, ut in eorum actis nec ætatum consors sit ordo, nec morum. Nam quum viris res illa dederit nomen, quod vi feminas agant, isti per repugnantiam naturæ conamina maribus puellulas anteponunt, dum infantibus adolescentulas dispensationis copulo iungunt; sicque per ætatis præpostere tempus honestatis lucrum dilabi cogunt ad impudiciæ lapsum, dum puellarum avidior et maxima ætas seros tardosque virorum contemnit expectare proventus. Vt ergo male ordinata propagatio generis in ordinem a transductionibus reducat inlicitis, huius sanctione decernitur legis, ut feminae minoris semper ætatis viris maioribus in matrimonio disponantur. Aliter dispensatio facta, si una pars contradicere videatur, nullo modo manere iubetur. A die vero sponsonis usque ad nuptiarum diem non amplius quam biennium expectetur, nisi aut parentum, aut cognationis, vel certe ipsorum, sponsorum si profecta sint iam ætatis, honesta et conveniens adfuerit consensus voluntatis. Sin autem in hoc fœdere inita pacta, vel definitiones prolongatione nuptiarum communis voluntas immutare decreverit, aut si per necessitatem una persona defuerit, non amplius quam duorum annorum tempus prolongatio continebit. Et si rursum, vel quotiens fieri ita convenerit, bienii tantummodo in definitione spatium erit. Aliter quandoque arrarum, aut scripturæ deliberata confectio non valebit. Si quis sane constitutum definitio nis tempus absque necessitate vel voluntatis consensione implere distulerit, suamque voluntatem a promissione coniugali removerit; et pœnam, quæ in placito continetur, adimpleat, et quod definitum est immutare non liceat. Mulierem autem, quam

3